



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Exhortationes|| Ad|| Religiosos

Dirckinck, Johann

Coloniæ Agrippinæ, 1704

4. De vitandis & eliminandis scrupulis. Thema idem.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-51834](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-51834)

EXHORTATIO IV.
IN REGULAM XLI.
DE SCRUPULIS ET EORUM REMEDIIS.

T H E M A.

Ulic trepidaverunt timore, ubi non erat timor. Psal. 13. 5.

V E L

Nullam debent celare tentationem. Reg. 41.



Tentationibus, ab Ascetis, annumerari solent scrupuli, nomen trahentes à scrupulis, seu lapillis, qui calceis injecti, molestiam & dolorem creant: ut enim hi, pedes cruciant; ita illi animum, angunt, vexant, & inquietant; sunt autem tales mentis scrupuli, cogitationes quædam, levissimis rationibus, & fere nullis fundamentis nixæ, quibus putamus aut suspicamur, peccatum aliquod, sive grave, sive leve, pro qualitate scrupuli, actionibus nostris inesse: quamvis alii perturbationem, quæ hanc cogitationem sequitur, scrupulum esse velint: no-

bis autem perinde est, sive scrupulus sit cogitatio, vel ratio falsa, excitans iudicium perturbationem; sive sit perturbatio iudicii, falsis rationibus excitata, sive utraque simul sumpta. Horum autem scrupulorum causa est multiplex; tum intrinseca, tum extrinseca, intrinseca est, dum oriuntur ex parte animæ, ejusque ignorantia, apprehensione, nimio timore. Vel ex parte corporis, ejusque complexionem phlegmatica, frigida, melancholica, aut ex nimia corporis castigatione per jejunia, vigiliis & opera pœnosa, quæ corpus debilitant, & animam ad bene judicandum enervant. Causæ vero extrinsece sunt Dæmon, qui Deo permittente, scrupulis hominem infestat; ut à via virtutis abducat, & in pristina peccata retrahat. Deinde Deus, qui

A a a a

qui

qui scrupulis tepidos exstimulat, ut imperfectiones fugiant; aut probat fervidos, & tanquam aurum in fornace purificat, illuminat, excitat, acuit, & meriti & satisfactionis pro peccatis, occasionem præbet. Ac denique societas scrupulorum, qui velut pestes latius serpunt, & in alios sese diffundunt.

Cùm igitur huiusmodi lapilli seu scrupuli, quàm plurimis, præsertim Tironibus, molesti accideant; præcipuos, in præsentem exponemus, simulque antidota præscribemus, quibus eisdem efficaciter curare ac proscribere valeamus.

I.
Scrupulus
de peccatis
præteritis.

I. Primus scrupulus seu lapillus conscientiam Tironum vexans & pungens est de memoria præteritorum peccatorum, aut de exhomologesi eorundem non rectè instituta: dum existimant, jam aliquod grave peccatum in ea præmissum; jam circumstantiam quandam necessariò exprimendam, silentio involutam; jam sine debita conscientia discussione, aut sine conveniente dolore, aut sine vero emendationis proposito, absolutionem susceptam esse, ac proinde se ad peccata denuò clavis subiicienda obligatos esse, omnino autumant: ideòque exhomologesin de tota vita, crebrius repetunt.

Huic scrupulo geminum præscribit antidotum Cancellarius Parisiensis Gerson Alphab. 72. lit. K. & ex eo Franciscus Suarez tom. 4. de Relig. L. 9. c. 7. Primum est, oblivioni dandum esse tempus præteritum, præteritæque delicta, nisi in generali ad petendam à Deo veniam per contritionem generalem. Alterum est, quando tempus præteritum sollicitat, timendò, quòd non sit

facta sufficiens confessio; occurrendum esse illi, recurrendo ad Deum, cum vera cordis humilitate & contritione; & in memoriam revocandam esse voluntatem, quam habuit integrè & perfectè confitendi; & quòd tunc fecerit, quantum in ipso erat, suoque Confessione satisfecerit; cuius consilio statuit præteritorum non ampliùs recordari, ut Deo meliùs possit inservire; atque ita in eo proposito perseveret; nimiumque timorem contemnat.

Verùm objicit quispiam, rectè quidem ista: timorem omnem libens contemnerem, si modò à me præstitum esset, quòd Deus jure à me exigat: quis autem me certum reddat; vere me penituisse, peccata omnia & singula ritè enarrasse; verum dolorem elicuisse; propositum firmum concepisse, nihilque prætermisisse eorum, quæ Deo, in tantis momenti exsolvenda fuerant?

Antidorum hoc, dubio tuo opponitur. 1. A Magistro spirituali aut conscientia arbitro consilium pete, illique humilitate magnà acquiesce: secundum Salomonis Regis sapientissimi monitum, Proverb. 3. *Ne innitaris prudentia tuo*. Scrupuli enim adeò obscuram, perplexamque reddunt mentem & conscientiam tuam, ut à te ipso nullum sanum consilium poscere valeas: quare audi consilium viri prudentis, & tutus, securusque eris. 2. Habes deinde signa moraliter certa, exhomologesin ritè petita, ac gratia divina tibi restituta. Nam perpende, obsecro, an non 1. Deus dirupit vincula tua; & in finitulis caritatis traxit te, ut ad penitentia lavacrum

crum sponte venires; & illi cor contritum & hostiam laudis offerres? 2. An non integrum otidium (ut in Societate moris est) præparationi, examini, attritioni, contritioni & proposito impendisti? 3. An non exhomologes eos præter dicta, & expiata sciro, licet mors obeunda foret, diserte professus es? 4. An non mortem potius oppetere paratus es, quam ad pristinam conversationem, præteritæque criminis relabi? 5. An non lentis perfectionis desiderium, amorem virtutis, studium Deo placendi? 6. An non vitam, mores & secularia delicta emendasti, nec tanto iam tempore ea perpetrasti? 7. An non omnia mandata divina servare paratus es? An non libenter cum Deo in oratione loqueris? An non libenter Verbum Dei audis? An non terrena omnia contemnis, & Deum unicè diligis? Quid igitur angaris? Quid scrupulis vexaris? Quænam certiora signa exhomologes rectè peractæ, gratiæque tibi restitutz in hac mortali vita, reperiri queunt? Igitur acquiesce, ac deinceps in pace & tranquillitate conscientiz, vitam tuam tranfige, Deoque fideliter servare perge. Quando homo moralem adhibet diligentiam, in peccatorum suorum confessione, Deus illico, omissionum peccatorum obliviscitur, & ea in profundum maris demergit: *Si impius egerit penitentiam ab omnibus peccatis suis, iniquitatem eius, quas operatus est, non recordabor.* Ezech. c. 18. Quid igitur ultriatè tantopere vexas & crucias? Angantur mundani sese modico tempore ad penitentiz Sacramentum præpa-

rantes. Crucientur peccatores, post innumeratas confessiones, identidem in pristina scelera relabentes; sed Novitii ferid vitam emendantes, Deo servire & placere cupientes, & ex corde ad Deum conversi, omnem anxietatem deponant: *Ad Dominum iam conversos, non nimis cruciet præteritorum conscientia delictorum.* S. Bernard. serm. 3. de SS. Petro & Paulo.

II. Alter scrupulus nascitur ex tentatione Diaboli, qui Religioso novello, cogitationes hæreticas, blasphemias in Deum, Deiparam, & Sanctos, aliisque nefandas & horrendas injicit, ac illis miserum vehementer exagitat; ita ut potius ad inquisitionis tribunal, quam ad exhomologeterium, pro remedio, sibi recurrendum existimet. Quemadmodum initio conversionis suæ expertus est S. Ignatius teste Tannero p. 4.

Antidotum I. est, quo morbus hic depellitur; has cogitationes omnino non timere; neque enim eas, qui scrupulis agitur, elicit, approbatque; sed Cacodæmon, Deo permittente, phantasmata movet, species adaptat, & indefinenter objecta nefanda proponit & ingerit. Ridenda igitur & penitus contemnenda sunt, tentationes hujusmodi; quanto enim magis quis iis affligitur; tanto magis à consensu & peccato distare se noverit. Perferendum itaque est hoc parvum Martyrium, divinumque auxilium implorandum; qui opportune fœtiditas hæc muscas abiget, ac tranquillitatem optatam restituet.

Antidotum II. est Conscientiz arbitris, aut Spiritus directoribus, tentationes suas manifestare; odit enim

Aaaa 2

Spiritus

II.
De cogitationibus blasphemis.

Spiritus tenebrarum lucem; Deusque demisse se aperientibus; mirè opitulati consuevit. Recenset S. Joannes Climacus gr. 3. de Afecta quopiam, ipsos viginti annos, jejuniis, vigiliisque se discruciantem; ut nescio quam blasphemie cogitationem abigeret; sed in cassum omnia, donec Seni cuiquam gravi ac prudenti molestiam detexit; à quo iustus manum collo ipsius imponere; hæc verba solatii plena audiit: *Super collum meum Frater, sit hoc peccatum, tot annis te oppugnans: tu illud floccipende, nihilque formida. Quo facto, tentatio molesta penitus evanuit.*

III.
De cogitationibus obsecans.

III. Scrupulus tertius nascitur, dum phantasia & cogitationes turpissimæ identidem ingruunt; quales sunt luxuria, superbia, ira, vindicta; quibus adeò certò consensum se præbuisse scrupulosus arbitratur; ut quidquid neget Conscientiæ arbiter, ipse suo iudicio mordicus adhaereat, à Directore suo non rectè cognosci aut intelligi se existimet, ac propterea suos in peccata foedissima consensus excusari, Dæmonumque dantaxat impulsus reputari.

Antidotum hujus erroris & persuasionis falsa est, si bene apprehendas ac distinguas sensum tentationum à consensu; aliud siquidem est sentire, aliud consentire. Sensus peccati, est cognitio peccati quasi ab extrinseco injecta, & veluti ignis quidam in cordis foco succensus, quem sæpe statim & facile extinguere non licet; sed interdum flammæ & motus turpes vel invito excitat. Consensus verò est actus voluntatis, quo expressè peccatum vis & amplecteris. Te verò non consensisse, col-

liges ex eo, si Deum O.M. offenderis; meas, ideòque de tentatione angari tristiteris; h in gratia Dei persistere cupias; si Deo placere unice desideres; si post tentationem adhuc à peccato abhorreas, illudque oderis ac detesteris.

IV. Scrupulus quartus emergit ex eo, quòd quis putat, non implere se aliud quòd præceptum, v. g. horas recitandi, quòd vel intentio, vel attentio, vel integra pronuntiatio defuerit, ideòque ad repetendum astringi. Simile quid accidit in audiendo Missæ sacrificio, ob nonnullas distractiones etiam non voluntarias.

Antidotum præfens est, virum doctum consulere, ejusque iudicio stare. Hac ratione Discipulum suum curare S. Bernardus: dum enim is ob scrupulos, à celebratione Missæ retardaretur, ei dixit: *Vade fili, & in fide mea celsum.* Ut refert Gerson de præp. Missæ. Accommodet se alterius viri prudentis iudicio, levissimæque sibi in contrarium occurrentes ratiunculas prorsus contemnat, tanquam penitus indignas quibus aurem præbeat. Consilium est S. Antonini p. 1. tit. 3. c. 10. §. 10. reg. 6. *Scrupulos, more canum, oblatrantes & lacere minantes non possumus melius cupescere quàm per contemptum.* Enimvero, in quantas exurgunt iras imbelles cœlli, si quem, penes domum, cultodis suæ commissam, transeuntem viderint! Accurrunt quasi si pedes viatori velint detrahere, clamant, fremunt, ringuntur, & latratibus totam implent actabant viciniam. Quid hic agat, si suspicuior? Sanè si cani respondeat, itinerat

que sui rationem reddere voluerit : innocenter se proclamet , neque quidquam domui se velle officere, si cani vellic persuadere ; ac proinde non ita sibi esse oblatrandum : & tempus perdet, & majores in se caniculi excitabit clamores, neque quidquam à tota vicinia referet præmii . nisi risus & cachinnos, quod rationibus canis velit obstruere. Quid ergo agendum est? Nihil prorsus. Clamet catellus ad ravim usque: viator nihilominus prosequatur iter suum tacitus, & securus sui. Defatigabitur tandem catellus, ponet iras, & nullâ re actâ, recipiet se ad nidum suum, ibique si liberit de victoria sua phantastica, plausum sibi faciet & triumphos. Ita cum scrupulis agendum est, inquit S. Anconinus : iis responde & colloquia cum illis misce, si totam illico turbatam vis domum. Contemne, & tuta sunt omnia.

V. Scrupulus quintus ex errore provenit, quo quis in omnibus quæ agit & cogitat, peccatum lethale à se committi exilimat; etiam in ipsa peccatorum expiatione, Synaxi sacra, oratione, aut sui manifestatione. Stultum hunc errorem, quo pacto corriges?

Antidotum est, si cogites: cum in sæculo, more tuo liberè viveres, impudicitæ vacares, ac Diabolo servires; in omnibus tamen operibus tuis, lethale crimen non committebas : nunc verò in Religione positus, à pristinis vitiis abstinens, sanctis occupatus actionibus, & à peccandi occasione sequestratus, in omnibus graviter delinquis; quæ isthæc est insania? An non Sathanæ ludibria cernis? Illud tibi stygius Impostor, ve-

luti pueris, quibus si viâ lutosâ, lubricaque incedentibus, acclametur, laberis, laberis, præ timore labuntur; ita pariter te Diabolus, velut pusionem stolidum, illudit.

VI. Sextus scrupulus est, dum præscientiæ & prædestinationis divinæ nodi insolubiles vexant, ut se reprobos aut damnandos conjectent.

VI.
De præ-
destina-
tione.

Antidotum in hoc, uti & in prioribus, validum est: concipere spem magnam ac fiduciam in Deum, plurimque de misericordia & bonitate ejus infinita sensum: ad quem hortatur sapientissimus Regum Salomon Sap. 1. 1. *Sentite, inquit, de Domino in bonitate.* Magna in sæculo admisistis crimina & multa; sed nemo propterea desperet; nemo cum Caino dicat: *Major est iniquitas mea, quam ut veniam merear.* Gen. 4. Sed potius perpendat illud Apostoli ad Rom. 5. 20. *Ubi abundavit delictum (plerumque) superabundat & gratia.* Quare rectè ait S. Laurentius Justinianus in Litæno vitæ de spe. c. 4. *Quid tam grave committitur, quod non Christi morte solvatur? Meritò igitur in Christo, mihi spes valida est, qui sanat omnes languores meos; qui redimit de interitu vitam meam; qui corripit me in misericordia & miserationibus.* Apprehenditis Deum, tanquam severum & acerbum vindicem scelerum, cujus judicii strictissimi terrore prostrati estis; sed timeant peccatores in peccatis perseverantes, mortemque infelicem oppetentes: at vos, qui peccata expialtis & emendare ea cupitis: *Sentite de Domino in bonitate: & sperate in eo: justus est quidem Deus, sed simul misericors, & benignus, utpote, cui proprium est*

est misereri & parcere, magis quam punire & plectere. *Quam bonus, Israël, Deus hu, qui recto sunt corde!* exclamat Propheta Regius, Psalm. 72. Quales vos per gratiam Dei jam esse cœpistis. *Bonus est Dominus, ait Jeremias Thren. c. 3. sperantibus in se, ut vos facitis, & anime querenti illum; veluti vobis unice cordi est. Quare sensite de Domino in bonitate.*

VII.
De variis
interro-
gationi-
bus.

VII. Scrupulus septimus est, dum Dæmon variis hominem infestat interrogationibus. Quid faceres, si hoc, illudve succederet? Si hoc tibi eveniret? Si hæc vel illa peccandi occasio sese tibi offerret? si talis tibi contumelia, vel injuria irrogaretur? An non vindicares? an non percuteres?

Antidotum est optimum, omnes has cogitationes eliminare, ac sollicitudinem de futuris abjicere. *Sufficit diei malitia sua, ajebar Salvator Matth. 6. Noli esse sollicitus pro crastino;* in occasionibus peccandi, Divina Bonitas gratiam uberrimam præstabit.

Quapropter, Dilectissimi, si scrupulis hisce agitemini, ne trepideris timore, ubi causa timendi non adest. Sive enim vos Hostis stygius infestaverit

scrupulis & anxietatibus de peccatis præteritis & exhomologesi perperam instituta; sive de cogitationibus hæreticis & blasphemis, sive de phantasiis & cogitationibus impuris; sive de impletis præceptis, sive ex ignorantia crassius, sive ex erroribus noxiis & interrogationibus periculosis; allegata ante mox adhibere antidota. 1. Vestræ prudentie nunquam fidite, sed juxta Regulam 41, vel Superiori, vel conscientia arbitrio, tentationes vestras manifestate, illi credite, illi obedite, illi vos & judicium vestrum subijcite. 2. Scrupulos contemnite & pro viribus abjicite; nec cum illis disputationem instituite, idem enim est ac si cum Cacodæmone disputetis. 3. *Sensite de Domino in bonitate.* Deus Pater est, non vitricus; Amicus est, non Tyrannus; bonus & misericors est, non rigidus & crudelis, ideoque firmam in illo spem & fiduciam collocate. Hæc qui præstiterit, per auxilium divine gratiæ facile juvabitur: qui verò ea neglexerit, pro ægro deposito ac desperato habendus est, qui nunquam curabitur.

